



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. Quid sit diuisio, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Diuisio, & quotuplex.

2 Diuisio, (sicut & compositio) alia est realis, qua realiter diuiditur totum in suas partes, tum à causis naturalibus, tum ab artificialibus: alia est mentalis ab intellectu oriunda, qua totum in suas partes diuisum concipitur, talique subinde sui conceptione diuidi dicitur. Et hæc (de qua tantum nunc agimus) vnum ex instrumentis sciendi est, vocalemque, & scriptam diuisionem sibi habet annexas; sicut & alia instrumenta logica; iuxta dicta pariter de compositione *disputatione 25. questione 1.* Quare diuisio huiusmodi sumpta vniuersè in mentalem, vocalem, & scriptam diuidenda erit. Mentalisque rursus diuiditur in obiectiuam, ex parte obiecti se habentem; & intentionalem, quæ est ipsa cognitio obiectum diuidens, dum illud concipit in suas partes diuisum. Proptè dictum pariter de compositione *loco citato.* Porro diuisio à Logice sic solet definiti. *Est oratio totum in suas partes distribuens.* Quæ definitio admitti potest sumpta oratione proptè comprehendit mentalem, vocalem, & scriptam iuxta dicta *disp. 18. q. 2. diuis. 6.* Vt ita complectatur illa mentalem, vocalem & scriptam diuisionem.

3 Est autem diuisio huiusmodi imprimis duplex. Alia nominis: alia rei, Diuisio nominis est, quæ nomen in plura, quæ habet immediata diuersaque significata (quo iure æquiuocum est, aut analogum) distribui solet: vt *Canis alius latrabilis, alius celestis, alius marinus.* Diuisio verò rei est, quæ quodvis aliud totum in suas partes distribuitur: vt *Animal in rationale, & brutum. Homo in corpus, & animam, &c.* Ex quibus totum dicitur diuisum, partes autem membra diuidentia appellantur; Vnde quot tota diuersa, tot rei diuisiones diuersæ recensendæ sunt. Totum autem aliud est Physicum, aliud Metaphysicum; aliud Logicum. Eorumque vnumquodque rursus in sua, eaque diuersa membra diuiditur, vt vidimus *disp. 25. q. 1.* Penesque videnda ibi toridem membra diuisionis totius in suas partes sunt designanda.

4 Hoc tamen prænotato vniuersim, quòd totum quodvis tunc dicitur diuidi per se, quando diuiditur in suas partes præcisè sumptas, absque vllò additamento, vt cum diuiditur homo in animam, & corpus. Tunc vero dicitur diuidi per accidens, quando membra in quæ diuiditur aliquid addunt supra partes totius, quod subinde & toti, & partibus aliquo modo accidentalium est; vt cum diuiditur homo in partem mouentem, & partem motam. Vnde diuisio cuiuslibet totius imprimis alia per se, alia per accidens esse potest.

5 Itaque diuisio sumpta vniuersè penes totum diuisibilibus diuersitatem, alia est physica, alia metaphysica, & alia logica. Deinde physica alia est totius in partes integrales, alia totius in partes essentielles; eaque aut quarum alia est forma, vel substantialis, vel accidentalis, & alia materia, siue subiectum respectu illius; aut quarum nulla respectu alterius est, forma, vel subiectum. Tum aut quarum alia est modus, alia res, aut quarum omnes sunt modi; aut quarum omnes sunt res, &c. Quarum diuisionum vnaquæque, aut erit diuisio per se, si sit in partes præcisè totius aut erit diuisio per accidens, si sit

in membra addentia aliquid supra partes. Metaphysica autem alia est totius in partes mutuo se contrahentes; alia totius in partes quarum nulla contrahit aliam: alia totius in partes, quarum alia contrahit aliam non mutuo. Quarum qualibet rursus per se, aut per accidens esse potest iuxta *super dicta.* Logica denique diuisio alia est generis in species, alia speciei in indiuidua: alia Differentia: alia Anonymi; alia Mixti prædicabilis in sua inferiori; in quibus quinque diuisum essentielle est membris diuidentibus. In rigore tamen sola diuisio speciei in indiuidua est per se. Nam in cæteris membra diuidentia aliquid addunt supra partes diuisi, eis aliquo modo accidentale, iuxta dicta de natura totius *logici disputatione 25. questione 1.* Alia diuisio etiam ex Logice est accidentis in subiecta, in qua diuisum membris diuidentibus est accidentale: idque vel tanquam passio propria, vel tanquam passio communis, vel tanquam accidens proprium, vel tanquam accidens commune eorum. Alia est subiecti in accidentia, in qua membra diuidentia sunt accidentalialia diuiso. Idque pariter, aut tanquam passiones propriæ, vel communes, aut tanquam accidentia propria, vel communia eius. Alia tandem est accidentis in accidentia, in qua diuisum, & membra diuidentia vicissim sibi accidentalialia sunt, idque similiter aliquo ex quatuor dictis modis. Ex quibus tribus diuisionum generibus primum non est diuisum per accidens (quidquid Logici censent:) quia membra diuidentia partes diuisi sunt præcisè ipsam constituentia, atque adeo ipsi conuenientia per se, tamen diuisum e contra accidentariè conueniat illis. Secundum vero & tertium genus diuisionum per accidens sunt. Differunt tamen, quod in illo diuisum membris diuidentibus est essentielle; atque ita ad genus, vel differentiam vel anonymum, vel mixtum prædicabile reuocatur, cum prædicatur de illis. In hoc vero diuisum accidentale est membris diuidentibus, atque adeo ad aliquod ex prædicabilibus accidentalibus pertinet, quando de illis prædicatur. Recognoscatur diuisio prædicatorum subiectorumque vniuersalium tradita *supra disp. 17. quest. 7.* Ex quibus omnibus palam est quid, & quotuplex sit diuisio.

Ex eisdemque apparet terminos dumtaxat compositos eâ ratione, qua sunt compositi, diuisibiles esse: Simples verò minime, quâ ratione simplices sunt. Itaque termini physici simplices, vt Angeli, non sunt in partes physicas diuisibiles, & termini simplices metaphysici, vt quadam vltimate rerum formalitates, non sunt in partes metaphysicas diuisibiles, & termini logicè simplices, vt singularia non sunt in partes logicas diuisibiles. Termini autem diuisibiles, quia compositi, aut in partes ex quibus componuntur præcisè sumptas diuidi possunt, in quas dicuntur diuidi per se, aut in membra addentia aliquid supra ipsas partes, in quæ dicuntur diuidi per accidens, vt dictum est.

QVÆSTIO II.

Qualiter Diuisio facienda sit in ordine ad scientiam.

Suppono primò, regulas illas quas ad bene diuidendum præscribunt Logici. Prima est, vt singula membra diuidentia minus contineant, quam diuisum;